

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1661

Autre(s) référence(s) : Fauroux 219 / Tabuteau 263

Auteur(s) : Guillaume le Bâtard, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : [1060-1066]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume le Bâtard, à la requête d'Eude, évêque de Bayeux, son frère utérin, concède à l'église cathédrale de Bayeux, la terre de Bernières [-sur-Mer] avec ses églises et ses divers revenus ; l'évêque avait acheté cette terre à Guillaume de Courseulle et à Roger, chevalier de Raoul le Chambellan.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Histoire du château et des sires de Saint-Sauveur-le-Vicomte*, Valognes, Martin, 1867, n° 30, p. 33.
- b. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° 1, p. 1.
- c. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n°219, p. 415-417.

Dissertation critique

1060 env.-1066. Parmi les souscripteurs, Robert, fils de Roger de Montgomery, est né vers 1055-1060. Voir FAUROUX, p. 416.

Texte établi d'après c

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris scilicet, ac Filii et Spiritus Sancti. Debet christiana religio preceptis ejus a quo creati sunt fideliter inservire et eternitatis felicis vite ad quam se esse conditos, Scriptura testante, audientes credunt operam vigilantis anime totam impendere ut in die districti judicii non inveniantur culpabiles, quia gratuite bonitati conditoris que precessit ingrati fuerint, vel propter nostram salutem incarnati postmodum Redemptoris cruci communicare neglexerint. Quia vero quedam virtutes sunt que, collate aliis, valent plurimum peccatorum maculas abstergere et divine ultionis iram, quam peccando meremur, avertere, studeat saltem majori cura et diligentiori cautela exercere se in illis humana fragilitas que non prevalet ad culmen tocius sanctitatis attingere nec in omnibus perfecta stare. Ego autem Guillelmus, divina dispensatione Normannorum marchio et dux, ex Scripturis sanctis audiens et fide tenens quid cause dicturus sit in retributione novissima judex omnium, unde boni hereditate regni celestis ditari, mali vero eodem meruerint exheredari, auctoritate hujusmodi, testimonio scilicet ipsius veritatis elemosinam ceteris preferens, nichil melius estimavi quod Dei sponsam, matrem vero nostram, rebus quam vis transitoriis honorare et tali commercio vite michi diuturnitatem comparare. Non igitur

potui vel magis debui precibus deesse Odonis Baiocensis episcopi uterini fratris mei, et terram beneficii mei, Brenerias nomine, quam ipse a Guillelmo de Curcella meo consilio atque licentia emerat, cum ecclesiis, et decima in presentia uxoris mee Mathildis et filiorum Rotberti atque Ricardi, communi omnium consensu, pro remedio animarum nostrarum, Baiocensi ecclesie dedi et de nostro eam in ecclesiasticum jus transtuli. Et ut hec nostra traditio per multa temporum spatia firmitate inconcussa perduret, atque a suo statu nullatenus moveatur, litteris diu victuris commendatam manu mea subter firmavi meorumque fidelium qui aderant manibus corroborandam tradidi. Si quis autem, quod avertat Deus, aliquam ei calumpniam amodo inferre vel eam prorsus adnullare temptaverit, decem auri libras curie pro tanta temeritate persolvat et, sacrilegii notatus infamia, postmodum ad talia non assurgat. Guillelmus dux. Mathildis comitissa. Robertus filius Guillelmi ducis. Willelmus Ebrocensis episcopus. Rogerus de Monte Gomeri. Robertus comes de Moreton. Hugo de Gornai. Gerardus dapifer. Guillelmus de Curcella. Radulfus camerarius. Robertus comes de Ou. Eudo vicecomes Constantini. Hugo de Monte Forti. Ricardus, filius Guillelmi ducis. Guillelmus filius Osberti. Gervasii de Domno fronte. Hugo de Portu. Robertus de Berneres. Robertus filius Rogeri de Montegomeri. Guillelmus filius Guillelmi filii Osberti. Osmundus Agullun.